

retur à puerō, optimè etiam et laudabiliter in posterū vitam traducturum; Dei verò praecipuè ea disponentis nutu, omnia simul forent adeo feliciter incepta: jam hisce auspicari licebat exitum consecuturum felicissimum.

Verum enimvero, sicut ii, qui in praedurā exercentur palaestrā, in hoc omni animi studio, omnique exercitatio-ne contendunt, ut in dies ferē singulos corpori vires, ro-bur, agilitas augeatur: ità etiam iis, qui doctrinae ac vir-tutis oblectantur studiis, maxima inest sollicitudo, ne mo-mento quidem temporis ad ampliora progressus retar-de-tur: Imò, ut acriori in dies animo, menteque promptiores et expeditiores ardua quaeque vincere, et ad praefinitam sibi metam contingere valeant.

Nonne hisce Nostri Raymundi vel puerilis aetas et ado-lescentia fideli quasi imagine adumbratae?

Namque, ut primū studiorum viam ingressus, ea quae alios, ut plurimū, à progredivo deterrent, impediun-te: ille acerrimā suā ingenii vi facile corripiens, illūs in posterum scientiae acquirendae fundamenta jacere sata-gebat.

Humaniorum igitur studiorum curriculo feliciter emen-so, in hac lingua, ità ut omnium litterarum ditissimā, sic et nobilissimis quibuscumque studiis, majoribus et ipsis facultatibus excolendis aptissimā, imò et necessariā: adeo est progressus, ut cùm postea Oratio studiorum inaugu-ralis in Seminario, et ea quae in patriā Universitate sin-gulis annis in Angelici Doctoris laudem proferri solita, ei fuissent commendatae, ab ipsoque habitae: ejus, tūm in dicendo vis et copia, tūm latinè loquendi peritia, omnium non modò approbaretur suffragiis, sed etiam laudibus ex-tolleretur amplissimis.

Quid verò de reliquo studiorum tempore? Quando-

quidem ne diem unum deperire passus, in philosophicas disciplinas sedulā exercitatione incumbens, publicasque theses singulis labentibus annis egregiè sus-tinens: et suis in hujusmodi palaestrā magistris labo-rum fructum referebat acceptum; et sibi copiosam cogni-tionum segetem parabat. Quā ad superiores disciplinas pleniū et commodiū accinctus, in Theologicis ità profecit, ut cùm patriā in Universitate Theologiae Cathedra mode-ratore vacaret, Noster Raymundus ad illud muneri exse-quendum illico ut omnium aptissimus eligeretur. Cum verò integro anni spatio se illi muneri obeundo dedidisset: in Seminario tum latīnae linguae Professor, tūm Philos-ophiae ac Theologiae Moralis studiis moderandis praefec-tus: quantū et magistris caeteris, et Superioribus fuerit acceptus; quantum virtuti et scientiae sedulam sine inter-missione operam navans, junioribus exemplar praeluce-ret: quāmque solerter, ut alumni sibi commissi ad optima quaeque assequenda contenderent, nec frustra, adlaborā-rit: cùm et Superiorum de eo existimatio, quibus mira vel ipsā experientiā ducente ad idoneos cuique mu-neri dignoscendos dexteritas: tūm honorificentissima de eo prolata coaevorum testimonia satls superque evincunt.

Neque his illum superbire prosperis pertimescendum. Qui, ut posteriori tempore demonstrandum erat, neque in adversis animo dejici solitus; qui non ad dexteram, non ad laevam deflectere; qui non supra se extolli, aut falsā rerum imagine inaniter pasci; sed prudentiae viis insi-stere; ibique, Dei ubi nutu provisum, consistere, et quodam quasi humilitatis pondere subsidere in deliciis ha-bebat.

Neque ideo mirari quis debeat, si, cum aliis id saepi-simè contingat, ut praepeti studiorum spatia satagant

cursu dimetiri, quò ignavè deinceps ac remissiùs se habentes, et saeculi illecebris capti, jamjam litteris valedixisse videantur: Noster, neque ignaviâ victus, neque inanum rerum cupiditate illectus, de iisque clariore in dies fulgens triumpho: ad sublimiora singulariter à Deo vocatus, eam omnium optimam, sibique numquam auferendam partem eligens, à Domino, prout olim Salomon, assiduâ prece deposcebat sapientiam.

Perspiciebat scilicet sublimiori ingenio adolescens, quamvis humanarum rerum sollicitudinem, nisi veritati ac bono impensam, plurimum esse in rebus inane: adeo autem esse hominis miseram conditionem, ut quocumque se convertat, ubique insidiae, ac laquei, undecumque pericula; à quibus, vana quisquis aucupat gaudia, vanisque saeculi inhiat honoribus, difficillimè is, nec, nisi extraordinariâ opitulante gratiâ, sese expedire quiverit.

Divina igitur de statu sibi deligendo voluntas ut sibi patefieret: quantùm et charitatis operibus instans, et oratione ac lachrymis deprecator assiduus! Quàm saepe, quantùmque filiali prorsus amore ac reverentiâ erga Beataissimam Dei Genitricem affectus, id ab eâ enixè efflagitabat, ut in illâ omnium arduâ maximè rerum, sibi non deesset; opem imò dignanter afferret praesentissimam, sua ut sibi vota feliciter succederent! Quantùm, ut id assequeretur, devotionis vi, et orationis assiduitate contendebat! Ut non immeritò illi obvenerit quod Dominus Noster Jesus Christus implicitè pollicitus est, cum ait: *Regnum coelorum vim patitur, et violenti rapiunt illud* (1). Cùmque et interiùs Dei collustrante gratiâ, et exterius Superiorum voce adhortante, ille se tandem ad Sacerdotale officium vocatum senserit: quâcumque de-

(1) Matth. XI, vers. 12.

mum anxietate depositâ, et pro Dei gloriâ laborare exaestuans, servatis temporum intervallis ab Ecclesiâ praescriptis, ipse in Domini pace et gaudio spiritûs, maximâ piorum hominum gratulatione, Sacerdotali dignitate decoratur.

Jam verò ex eo praecipue temporis momento, quàm potenter ejus virtutis lux intuentium animos ad suî imitationem accenderit! Quod cùm faciliùs detur intelligi, quàm verbis explicari, id unum commemorabo. Quod cùm scilicet, dum ad Sacerdotium evehetur, in Seminario simul Professor existeret; adeo sese utriusque munera officiis exsequendis non modò parem, sed etiam in dies singulos aptiorem ostenderit, ut et Sacerdotum et Professorum gemma meritò haberetur.

Mox igitur gravissimo Antistitis sui judicio idoneus inventus, qui in partem pastoralis sollicitudinis cooperator adsciretur: jam Parochus, quanta in populum sibi commissum horis ferè singulis beneficia contulerit, imò verò profuderit: quisquis ejusmodi parochialia officia, tot, tamque varia, et absolutis numeris obiri difficultia, simul ac noverit, perspiciet. Cùm Vir praeclarus, ut aliâs alia, sic tunc Pastoris munia adeo implendo solerter studuerit; ut jam in Parocco futurus, idemque egregius, Episcopus non admodum obscurè prospici liceret.

At enim tantum verae sapientiae lumen, unî tantummodo Dioecesi, cùm etsi feliciter, hactenus tamen circumscriptum quasi in orbem praeluceret, non amplius Dei nutu concessum: quin ad ipsius Dei gloriam, in caeterarum Dioecesium bonum, novo quodam splendore coruscans, claritatis suae radios emittere oportebat. Itaque, cùm in Mechoacanensi Ecclesiâ jam diu esset, quo Magistralis Praebenda vacaret: Noster Raymundus, qui jam in

Sacrâ Theologiâ Doctorali laureâ fulgebat, ejusdem Ecclesiae Antistite invitante, ad id tandem adductus est, ut inter eos annumerari se et admitti postularet, qui ad eam obtinendam aderant. His igitur, quae de juris praescripto observanda forent, praemissis, ipsoque ad eamdem ritte electo: ubi primùm id ad patriam urbem, et ad plebem sibi commissam perlatum est, de Viro egregio sibi jamjam quasi eripiendo moeror et dolor cunctorum animos occupassent. Nisi quòd ex pluribus in dies clariùs emicantibus indiciis, id compluribus esset ratum compertumque: Deum scilicet, qui in electorum salutem, et Ecclesiae suae ab Oriente ad Occidentem usque diffusae bonum, tūm prospera, tūm adversa omnia dirigit, consilio providisse: ut, tūm, cùm omnia jam permisceri, et persecutio- nis rabies imminentere videbatur; ille, qui tenebras ipsas coelesti lumine dissipare, quique in rectum salutis tramitem reducere devios, atque piorum animos in bono confirmare, utpote sapientiâ ac fortitudine praestans, maximè idoneus, tūm quidem Mechoacanensi Ecclesiae praestò ades- set; tūm verò, et qui jam merito afficiebatur honore, forsan eumdem ad ampliora divinitus etiam postero tempo- re vocandum, non improvidâ mente praesagirent.

In Mechoacanensis igitur Ecclesiae Senatum cooptatus, quam vitae rationem instituerit, quantoque in exsequen- dis sui Officii muniis studio Vir tantus se gesserit: vobis, Auditores charissimi, qui ejus in omnibus quae ad Dei gloriam conferrent, gerendis zelum, eumque secundum scientiam, optimè nōstis, non modò non obseurum, quin et facile pro comperto habebitur. Sed, ut ex multis pau- ca meminerim: quanta ejus virtutis lux illico effusit! Quantus ordinis, legumque observandi studium! Quàm ipse et in alios benignitate, et in seipsum severitate con-

spieus! Quid verò de eâ, quam rectam et prudentissi- mam expediendis in negotiis, consiliisque præbendis vi- am et rationem adhibebat! Quàm, ut aliás, Officii mu- nia solerter exsequebatur! quam tūmque et aliis, cum res postularet, opem ferre alacer animus ac promptus! Sed, qui primò insipienti omne suum tempus aliorum temporibus transmittere videbatur: is rursùs, propiùs acceden- ti illud omne scientiarum litterarumque crederetur stu- diis insumpsisse.

Unde etiam id consequeretur opus fuit, ut non modò ob ingenii, officii, morumque suavitatem, et sociorum, et inferiorum animos sibi grato sensu, amore, reverentiâ de- vinixerit, admirationeque suî maximâ perculerit; sed gra- vissimo etiam Antistitis Mechoacanensis judicio eximiè probaretur. Quod, ut palam fiat, primo, nec infirmo fuerit argumento, quòd secundo labente anno postquam in Moreliensem Urbem pervenerat, Noster Raymundus ab Illmo. illo Antistite, D. D. Clemente à Jesu Munguía, qui cùm ingenii ac litterarum, tūm prudentiae ac fortitudi- nis laude praeclarus, Ecclesiae ac Patriae decus effusit: quique divinitus insigniebatur dono, ut ad quid muneric aptum eujusque ingenium primo quasi intueretur aspe- ctu: Seminario Mechoacanensi regendo præficeretur. Ut autem illum sic non modò honore fuisse affectum ampli- simo; sed gravissimo etiam oneri subeundo delectum, per- spiciatur: quaedam hīc in memoriam revocare præstabit.

Jam saeculo decimo sexto, anno circiter quadragesimo, Illmus. D. D. Vascus de Quiroga, primus Mechoacanen- sis Antistes, apostolicis virtutibus præclarus; ingenio ad ardua quaecumque in primis aptissimo; et ad veri nomi- nis civilitatem populis recenter conversis inducendam, ac subitis et mirificis incrementis provehendam divinitus de-

lectus: ante Synodum Tridentinam celebratam quasi ipsius Concilii vota praeveniens, Collegium erexerat. Quo postea in urbem Dioeceseos primariam translato, junioribus ad scientiam et virtutem informandis, plus quam duobus saeculis, prout ex historicis constat documentis, optimè fuerat provisum. Cumquè illud sub nomine Sti. Nicolai Episcopi erectum Collegium paeclarâ admodum laude tam longo temporis spatio exstitisset, Seminario Tridentino, quod posteriori tempore fuerat erectum, in unum copulatur. Cùm verò utrumque optimè de Ecclesiâ ac civili societate semper fuisse meritum: Seminarium, prout par erat, ingeminato sic decoris splendore fulgebat. Eorum denique, qui Collegio ipsi moderando paeffuerint, quique scientiae ac prudentiae laude paecelebant, paeclarum ipsum nomine ac decore: Seminarium, eò celebratis devenerat, ut cum Noster Raymundus ipsi fuit electus moderando, eò undique magno numero confluentes maximo sibi honori ducerent, si eidem inscriberentur alumni. Institutio praeterea, tūm ordine rerum, tūm idoneis professoribus delectis, summis omnium efferebatur laudibus. Inibi igitur, sicut optimae institutionis ordo sapienter constitutus, utque maximus laborum fructus: ita et Superioris cujuscumque munus, ut honore paeestans, arduum: Rectoris autem, sicut honore paeestanissimum, sic oneris causâ difficillimum.

Quod quidem ex eo paeestim, quod temporibus et ve-  
ritati et bono maximè infestis, omnia ubique locorum per-  
miserit incopta; at ibi vel paecipue, ubi ut scientiarum  
clarior in dies cultus evaserat; ita, quibusdam pro suâ, nec  
bonâ quidem causâ, agentibus, pestis dum quaedam libro-  
rum grassabatur, qui à severitate morum, imò ab omni re-  
cti et honesti sensu legentium animos, paeestim junio-

rum, avertere nati et idonei: opinionum monstra simul erumpere, societatisque ipsius paci ac bono maxima jam-jam imminere pericula. Quae cùm ita forent, arduumque, quam quod maximè, Seminarii illius dirigendi munus: eum, cuius vires tanto oneri nec diutius, nec nisi aegrè ferendo aequarent, è millibus si seligeretur, unus, inveniri vix posse, altè omnium animis insederat.

Numquid sed enim Vir egregius in eo, quod tum sibi injungebatur munus; in iis etiam in proximo sibi injungendis, omni quidem tempore difficultibus, pro temporum autem conditione difficillimis: divinâ credatur ope destituendus? Animus advertite quaeso, ut intueamini, quod cùm perspicacem illius ingenii vim neque hactenus latentia mala, neque imminentia effugiant: omnibus his pro rerum varietate, et personarum indole, remedia adhibeat paeestissima: idque, ut generoso decent animo, timore, odio, cupiditate alienus; quamque omnia suaviter ac fortiter gerat, in similitudinem Supremi illius universorum bono providentis Numinis.

Si autem singula considerentur, quid de eâ, quam ab ipso Mechoacanensi Antistite adeptus est existimatione pro Collegii moderatione adeo sapienter perfunctâ, idque integro decennio et tricnnio? Quid de eo, quod jus niores, ipso moderante, in scientiarum non modò, sed etiam et precipue in virtutis amore et cultu in dies ita ardenter progressi sunt, imperturbatâque adeo animi tranquilitate, ut nihil obstare, sed potius abesse temporum calamitas videretur, quâ ipsa Ecclesia, et Ecclesiae decus maximum, ipsa Seminaria ex gentis nostrae memoriâ affiebantur? Quid, quod idem Antistes, cùm in exilium actus, inter primos quos, ut suas in Dioecesi gubernandâ vices gererent, nominavit, Nostrum

Raymundum elegit? Quid de ejus prudentissimâ, expeditissimâ, rectissimâ administrandi ratione? Quae ea fuit, quae et Antistitis laudibus, et hostium persecutione optima probaretur. Quid de tempore quo exulavit? Quantum ab hostili animo eum vexare delectatis, et vel ab ipsâ repentinâ aëris et locorum mutatione affectus molestiis! cùm vel primùm in longinquò positus, et extra Dioecesim; vel cùm in ipsam reversus, exulare tamen coactus!

Jam equidem, credo, nōstis, quām fortiter quāmque prudenter in omnibus se gesserit: ipsis hostibus iterūm et saepius, tūm illo quidem, tūm postero tempore ejus in bono constantiam, ejusque invictam fortitudinem omni praeconio extollere coactis.

Quibus verò enarranda verbis, quantum eo etiam temporis intervallo ad juniorum institutionem laboraverit! Cùm enim in urbe Episcopali jam ab aliquot retro annis, nec modò impediretur Seminarium, sed etiam illius restituendi spes ipsa praecisa videretur: cùmque ad Collegium alibi erigendum, et suo in Ecclesiae bonum ferventi studio impelleretur; et Mechoacanensis Antistitis vota accederent: iis, qui sacrae militiae adscribi cupientes, quique suis votis frustrari Noster Raymundus maximè dolebat, efformandis, in Celayensi Urbe Collegium constituit: sapienti adeo ratione et ordine, ut in ipso, supra id quod ex temporum calamitate sperari licebat, efformandis rite clericis verè Seminarium effloresceret: unde paucis labentibus annis fructum maximum colligere licuit.

Ubi ex Celayensi tandem in Moreliensem urbem regredi datum: tunc, ut par erat, Seminario restituendo adlaboravit. Temporumque ac rerum adjunctis ali- quā ex parte faventibus, solerter, quae adhuc supere-

rant, media adhibens, novisque studio et zelo indefesso procurandis assiduus: adeo ad exoptatum exitum, Deo adjuvante, feliciter pervenit, ut Seminarium illud non denū videretur restitui; sed quasi à somno excitatum, novâ luce recreari. Et quamvis aere, humanisque praesidiis destitueretur, nec idcirco dolens, sed potius se quasi vinculis expeditum sentiens, tandem subitò juvenili robore ac decore donatum, illud meritò posset occinere: *Renovabitur ut aquilae juventus mea* (1); et tanti Viri exemplo ante oculos praefulgenti, melioris aevi juvenum selectissima cohors, verae sapientiae et virtutis viam ingressa, in earumque castris promereri percupida, vehementissimo Dei gloriae procurandae zelo, acriori cursu ad optima quaeque emitens, ardenter Ecclesiae et Patriae amore raperetur.

Quid plura? Rursus Dioecesi ab Illmo. Mechoacanensi Antistite administrandae praefectus, quanto studio, quāmque rebus omnibus sapienter providendis cooperator fidelissimus! Ut non immeritò bonos ac pios homines laetitiā, iniquos etiam reverentiā, cunctos denique admiratione perculerit: jamque in illo sicut Episcopale meritum et virtus, ità etiam Episcopale decus et dignitas praefulgeret.

Tum verò, cum á Maximo Pontifice sanctissimae sanè memoriae Pio IX Episcopus Queretarensis fuisse renuntiatus: quām ipse modestiā et humilitate actus, id semel atque iterum deprecabatur, ne sibi onus tartum imponeatur! Nec mirum, si vel ipsis Angelicis humeris formidandum onus humiliiter, etsi assiduè, recusaverit sibi imponi: cùm et ipse Moïses, dum ad liberandum ex ferreâ Ægypti captivitate populum Israël mitteretur á Domino,

(1) Ps. CII, vers. 5.

honorem et onus recusandum censuerit. Si autem id, quia humilitate factum, Deo jucundum: num verò, quod Noster Raymundus, humilitate etiam actus, deprecatus est, argui possit aut reprehendi?

Apostolico verò imperio sibi injuncto, quantâ ad suum munus exsequendum sollicitudine excitatus! Tunc feli-citer illud tandem Queretarensi Ecclesiae obtigit bonum, quo, calamitate brevissimè superventurâ, foret privanda. Neque, quòd haec dixerim, mirari oportet: quandoquidem temporis intervallum, quantumcumque id demum fuerit, si tamen fine absolvatur, meritò dicendum brevissimum. Etsi verò illud ex oculis eruptum, felicissimum tamen cum fuerit, tantisque nos cumulârit bonis, numquam ex animis grato sensu affectis recessurum, sed sempiternâ memoriâ consecrandum!

Dei igitur sapientissimè omnia providentis ordinatio-ne dispositum, ut Vir egregius, qui vel celeberrimis ex hac Novi orbis regione Dioeceses, imò vel ipsius Europae antiquiores et celebriores dignissimè fuisset, si ad eas regendas eligeretur, recturus: parvae, et pauperi, et recenter erectae Ecclesiae praeficeretur. Cur verò itâ factum, Auditores Charissimi? Absit, ut Dei consilia, creaturis inscrutabilia, ego miser perscrutari praesumam. Sed si mihi id quod sentio, quodque ex rebus ipsis conjecerim, dicere liceat: non modò hujus Ecclesiae bono, sed aliarum etiam gentis Mexicanæ Dioeceseon utilitati et bono Deum, Queretarensi Ecclesiae eum praeficiendo, providere voluisse, non admodum obscurum videtur. Cùm enim haec Queretarensis Urbs ibi sita sit, quòd frequentissimæ adiri ac faciliores viae confluunt, inde etiam facillimè quaqua-versus tanti luminis radios spargi decebat. At enim clari-ssimum Episcopum non suae tantùm Ecclesiae illu-

minandæ, sed etiam caeteris à Deo lumen datum, sal-lus, columenque rerum: ipsa historica documenta mon-strârunt. Nec omittendum, prae caeteris Ecclesiis huic, speciali dono, à Deo tantum decus, tantumque felicitatis sperandum non incongruum videri. Imò etiam id Dei pietati congruere videbatur. Cui, ut fidelibus populis denegare numquam aut procrastinare; sed potiùs re-tribuere, idque protinùs, praemia maximè cordi est: itâ et eorum necessitatibus subveniendis apta, imo et aptissima sapienter ac misericorditer largiri beneficia. Quid verò Ecclesiae longioris viduitatis aerumnâ confectæ; quidve filiis amissi Parentis dolore desolatis, consolatio-nis aut levaminis: populo præsertim pietate in Deum, filiali erga Beatissimam Dei Genitricem devotione, et Catholicae fidei professione, quâm qui maximè praestan-ti: aptius quidnam, aut Dei magis pietati consonum, quâm ipsi Ecclesiae eum Praesulem praeficere, cuius gloria in ipsam ac decus redundaret? Nec verò à divinâ largita-te anteacto tempore accepta beneficia huic refragabantur spei. In quibus nec minimum illud, quodque memoris animi sensu praedicandum, eujus tunc tam præclarum sperabatur praemium. Etenim illud etiam fuerat divi-nae pietatis beneficium, quòd Queretarensis plebs, non obstantibus iis, quibus ad impietatis et corruptorum morum viam ingrediendam ex viciniâ, ut itâ dicam, incita-batur: Catholicae veritatis apprimè tenax; neque, prout ex temporum calamitate formidandum, à moribus suae fidei consentaneis descivisset. Deo igitur misericorditer provideente, Deique ipsius Genitricis ope splendidiori in dies lumine populum suum laetificante, illa tandem feli-citer illucescebat dies, cùm post longam Ecclesiae viduitatem, vir pietate, ingenio, et scientiâ non tantum Theo-

logicā, sed etiam historicā eruditione et litterarum humaniorum laude praeclarus; quique undevigesimi nostri calamitosi saeculi indolem, conditionem, vulnera non theoreticis modō et privatis elucubrationibus, sed etiam ex publicis rerum eventibus, luctuosā tempestate præcipue, et optimē comperta haberet; et peritissimē, remedia malis adhibendo, tractasset: idemque fortitudine, benignitate, omni denique virtute præstans, utpote feliciter à Deo in dulcedinis benedictionibus præeventus: humili et parvae ipse maximus præficeretur Ecclesiae.

Cujus, jamjam in Episcopum consecrandi, quanta modestiae ac pietatis lux, et in Venerabilem Illum. D. D. Vascum de Quiroga, primum Mechoacanensem Antistitem, quām reverentiae ac devotionis præclara significatio! Cujus quām in se ipso imaginem fideliter expresserit, ejusque esset quasi virtutis haeres eximiae, Noster Praesul in iis quae ante omnium oculos fulgebant, spiritū paupertate, et ad Dei gloriam zelo numquam laboribus exhausto, abunde comprobavit.

An verò silentio prætereundum id, quod modestiae, quae in prosperis maxima refulget, specimen præebuit: cùm, jam ad suae Dioecesis Episcopalem Urbem pergens, breviori omissā viā, longioreisque arripiens, tempore anni alieno, ipseque valetudine haud satis firmā, quam primum difficiliori itineri se commisit? Tunc verò, publicam et sollemnem refugiens civium receptionem, quasi subitō fideli populo præsens factus, publicum nihilo minus amoris ac venerationis accepit ejusdem populi testimonium; qui in Dei domum, ut ibi Deo debitae redderentur grates, suum jam diu exspectatum, sibique tandem feliciter in nomine Domini advenientem Praesulem comitatus est euntem.

Ex eā vero die, quā populo Parens, quā Queretarensi Ecclesiae Sponsus diuinitus est redditus: quae et quanta verae sapientiae documenta ex ipsis et dictis, et scriptis, et factis promanārint; quantoque pro Domini gloriā procurandā zelo adlaboraverit enarrare, aut saltem enumerando indigitare mihi admodum difficile, imò ferè impossibile videtur. Cùna illius igitur vitae rationem hujus temporis spatio, non prout res ipsae postulabunt, sed pro mei tenuitate ingenii pressim, et jejunē forsan, exponere satagam, mecum benignè agatis opus est.

Quanto igitur ad perfectionem et veri nominis sanctitatem adipiscendam animi sui studio ac contentione raperetur! Illud scilicet altè suo cordi repositum: *Sancti eritis, quoniam ego Sanctus sum* (1). Orationi, studio, negotiis expediendis totum vitae spatium insumebat. Cunctis profectò, Clericis præsertim, eum adire cupientibus, etiamsi resalutandi tantū causā id facerent, aditus facilis patebat. Omnibus affabilis, et benignus; suī verò severus exactor. Etsi maximo defatigaretur labore, brevi tantū somno indulgere. Mensā sobrius; vestitu asperiori usus. Etsi infirmā valetudine, sibi non prospicere. Quod verò sibi denegabat levaminis, alteris tamen, coelesti prudentiā ductus, auctor erat ut, datâ occasione, concederetur. Vana respuens, solida tantū sequi: veritate solummodo et bono delectari.

Cùm autem domūs Domini zelo esset accensus, Temporum nitor, sacrorum vasorum, sacerdotalium vestium, suppellectilis denique templorum mundities; missarum, quām frequens dabatur, in Ecclesiis celebratio; divini eloquii prædicatio; cultūs decus et sollemnitas illi maxima et assidua sollicitudo.

(1) I. Petr. I, vers. 16.

Ut verò Sacerdotes éà morum sanctimoniam fulgerent, quam et ipsa dignitas Sacerdotalis exigit, quaeque populis ad imitationem sanctitatis simul exemplum foret et stimulus: quanto zelo adlaboraverit, omnibus perspectum: utque pro ipsorum Sacerdotum paucitate, neque éà obstante, populi spiritualibus subveniretur necessitatibus, sacramentorum quotidianaे administrationi sufficienter consuleretur, omnibus denique provideretur sapienter.

Quanto animarum zelo, ut populum sibi comissum, in fide et charitate tūm in Deum, quum verò ad invicem; omnes demum omni bono firmaret! Nec frustra Deus quippe humilibus opem ferre praecepsissimam in deliciis habens, Praesulem Nostrum in sublimiori locaverat, ut quasi lucerna ardens et lucens, suo non modò gregi, sed etiam Mexicanae Ecclesiae universae praeluceret. At enim magis in dies charitatis accensus flammis, à Deo acceptum lumen fidelis administer spargere delectatus, charitate, quâ ipsius cor fervens erat, cunctorum corda flammescere satagebat.

Sacrosancta igitur Religionis dogmata, fidei nostrae ab Ecclesiâ proposita, quaeque singulis essent in praxim deducenda officia, perspicuè et accuratè exponens: gravi, sedulâ, perpetuâ ad pietatem, et charitatem et justitiam, ad omnigenam denique virtutem adhortatione, nec molestiis fractus, nec aliis ferè innumeris sui Officii muniis praepeditus, nec temporis angustiâ coarctatus, supersedebat. Ut pastorali prorsus sollicitudine studebat, et piorum animos in bono obfirmari, et peccatores à deviâ perditionis ad rectum salutis tramitem deduci! Quàm verò, sive per seipsum, sive per alios ejus zelo exercendo fideliter cooperantes, iisque remediis ad mala avertenda adhibitis, quae tempori, caeterisque rerum, et personarum

adjunctis magis congruere coelestis planè prudentia suggesterat: et discordes animos in concordiam adduci, et pericula et scandala arceri, solers, iisque saepenumero non frustra, incumberet!

Omnis, et suos, et caeteros quoscumque affabilitate, longanimitate, charitate effusus, ut filios in Domino complectens, non modò sibi ipse, de quo nec tantisper cogitans, ut privatus; sed etiam, id quod maximè sibi cordi, Domino devinciebat.

Cùmque, sive praecepsis, sive consiliis adhibitis procederet, prudentissimum ubique se ostenderet; vique ipsius charitatis ageretur; et quamvis malorum interdum acerbitate compulsus, atque quorundam in malo obstinatione coactus, severiore se gereret, charitate tamen ad id etiam adductus: quia ipsum etiam Christi charitas urgebat. Hinc factum, ut ejus exemplo omnium animis illud fuerit insculptum: *Sectamini charitatem: aemulamini spiritualia* (1).

Domi parvam familiam alebat. Nec mirum: cùm viduis, et orphanis, omnibusque calamitate oppressis, paternâ prorsus sollicitudine providens, alia sibi familia foris esset; magnus scilicet pauperum grex, quorum subveniendis necessitatibus, et per se ipsum et per alios, praesertim verò per socios Collationum Sti. Vincentii à Paulo, diligenter, magnisque saepe, pro redditum suorum tenuitate impensis, invigilabat. Egregius sic imitator Domini Nostri Jesu Christi, qui pertransiit benefaciendo (2).

Sed ex his quibus populum suum ad fidem et charitatem informabat, illud forsan velut praecipuum commemorandum: in quo, dum et coelestis sapientia et fortitu-

(1) I. Corinth. XIV, vers. 1.

(2) Act, X, vers. 38.